DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 7. FEBRVARII.

M. GVILLELMO PETIT Doctore Medico Præſide.

Eſt-ne fœtus animi fœtæ pathematis obnoxius?

HOMO quivis, ipſam, quâ fruitur lucis uſuram, non tàm immortalitatis deſiderio, quàm voluptatis illecebris acceptam referre debet; iis præ cæteris animantibus capti vir & mulier, ſic ruunt in amplexus, ut è compreſſis eorum corporibus plerùmque tertium, fœtus ſcilicet, exiliat, pignus mutui amoris cariſſimum. Sed non quævis ætas ad firmam prolem proſeminandam idonea: talem nunquam dabunt laſcivi quidem, at non ſatis fœcundi juvenes: ſeniores vix ſuæ retinendæ, ne-dum aliis largiendæ vitæ pares. Integra vivaxque progenies nonniſi ab integræ ætatis hominibus expectanda; his quippe meliori ſanguine ac ſemine diſtentę partes generationi addictę accendunt in utroque ſexu miſcendorum corporum cupiditatem, omnium certè vehementiſſimam, quâ perciti geſtiunt cœlibatum vitæ genus naturæ ſemper, ſanitati ſæpius, moribus haud rarò adverſum, excutere, dareque operam proli, quæ cùm in uteri umbraculis, tùm in lucem ſuſcepta, longè plura vitę primordia, ac præſidia capit à matre, quàm à patre. Hic enim ſolum ſemen; illa præterea ſanguinem præbet ac uterum, in quem velut in vitæ officinam conjectum maris ſemen, nec evaneſcit, vi quadam ſui dumtaxat ſuperſtite, nec fœmineo occurrit ac permiſcetur, nec conceptionem (primum fingendi fœtus motum) ab eo ducit: ſed velut αὐτόματον ab artifice excitatum ſuos edit motus, ſuoque germine alteri plantę ſe ſe ex arvi genitalis ſubſtantiâ efferenti, quaſi inſitum trunco adnaſcitur. Inde nová quædam alia vegetans conceptum ut fructum parit & ovum, futuri nempe fœtus initium, ex cujus parte gignitur victurus ex reliquâ. Hunc membranę è mucoſis filis ab utroque cornu ortis mirabiliter contextę obvolvunt. Naſcuntur autem illę ut florum tunicę, albumen quod continent ut lac amygdalę, in quo germen eſt è propriâ deciſum plantâ. Adeo affines ſunt conceptio ac generatio animalium, plantarum, viviparorum & oviparorum.

SEMINE intra menſem, ut ferè fit, concepto, Natura à tam tenui adumbratione compactionem corporis, in quo ſtaminum omnium textus eſt auſpicata, ſuum opus efficit gemino motu, ſeminis videlicet immutatione, & conformatione. Ne verò partes omnes ſimul abſolvantur, facit earum ordo, dignitas, neceſſitas, ipſiuſque ſeminis ad eas coagmentandas properantis motio, nec á fœtę, nec à fœtûs animâ profecta, nec à facultate formatrice, ſeu ſui ſit juris, ſeu formę principi mancipata: ſed à ſeminis ſanguiniſque ad uterum confluentis calore, genio, variâ particularum indole & multiplici concordi, ſimulque diſcordi agitatione, quos continent numeros vivaces, efficaces in parvo magna molientes exerente. Ita futurus homo qui modò planta erat, ad nobiliorem vitę gradum pedetentim aſcendens capit ſentientis primordia, puncto in liquore limpidiſſimo ſaliente deſignata. Primo viſceri adhæret glebæ ſimilis mucago, caput cum oculis referens. Organis demùm, quibus anima nobiliſſimas geſtiones explet, nobiliſſimis inſtructum corpus, illam immortalem, creatam & foris ad ſe venientem excipit, ſibi decori atque ornamento futuram; at non aliter cohærentem quàm actionum motuumque relatione, commercio & reciprocatione. Animę præſentiâ nova majorque, quàm antè fit fœtûs cum fœtâ conjunctio, veteri, quâ jam matris utero alligatus erat, innixa. Venę ſcilicet arteriæque umbilicales quaſi radices naturæ agro affixæ, ſanguinem ab uteri arteriis in placentam hiantibus hauſtum deportant in jecur, ab hoc venâ cavâ per venam pulmonis in ſiniſtrum cordis ſpecum, inde per majoris arteriæ tubos diffundendum in omnes puſionis partes, quibus augendis potiùs, quàm alendis impenditur. Quidquid tamen ipſius non hæſit ad vitam reportatum ad jecur uterinum à venis matris eò deſinentibus reſorbetur. Hâc intimæ conjunctionis neceſſitudine maternam temperiem, & quidquid hanc conſequitur induit; imò totis viſceribus & medullis accipit combibitque fœtus.

CORPORIS animæque conjunctio hominem velut forma conſtituit, & à reliquis viventibus, quibuſcum corporis dumtaxat mole ac motibus convenit, planè ſejungit. Omnis concretionis expers anima, cui vivere cogitare eſt, nequit aliam cum corpore ſocietatem inire, quàm ſuis cogitationibus, hujus motibus mutuo nexis fœdere, cujus robur (Deo res tam diſſitas copulante) jure ſolius naturæ ſancitum eſt. Mens licet toti ſit juncta corpori, non qualibet ejus motione ad agendum impellitur. Vnius in quo reſidet cerebri, nervorumque ac partium, ad quas hi feruntur, agitationem percipit; inde interni externique ſenſus, ad totum pertinentis hominem, ratio, quâ corpori conſociata anima, quæ in illud noxia vel utilia ceciderint, ſibi quoque moleſta vel fructuoſa judicat. Rei, quam ſenſit, comprehenſione ducitur in appetitum, quo illam conſectatur aut declinat, non ſine aliquâ ſui perturbatione, quá cùm vehementiùs percellitur, meritò dicitur animi commotio, vel (ſi mavis) confuſa perceptio motu ſpirituum concitata, quamdiuis vigebit, duratura; peculiari autem cordis & univerſi corporis immutatione perſpicua. Motus animi duplex, alter cogitationis ſolius, qui citra corporis conſortium voluntatis arbitrio peragitur, ope idearum quibus eſt imbuta mens; alter circa objectum ſenſibus obvium, ad quem tria concurrunt, motus ſcilicet organi ad medium pertingentis cerebrum, inde nata perceptio, non organi ſenſu defecti, ſed mentis quâ morbo, extaſi, vel altâ meditatione impeditâ brutum fit corpus; ac denique judicium quod pro libito exercere aut cohibere poteſt, minimè verò ſenſum rerum extrinſecus in organa incurrentium. Perceptiones confuſæ fluunt ab animâ, corpore ipſam ſollicitante, ſeu id fiat vagorum ſpirituum impetu, unde vana ſomniantium ſpectra, & vigilantium delirationes; ſeu nervorum contactu, tum quæ inde nata animi impulſio, modò refertur ad objectum quod ferit ſenſus interiores, ut color, odor, ſapor; modò ad corpus ejuſve partes, ut fames & ſitis; modò ad animum, quem cùm vehementiùs pulſat, preſſiùs animi motus appellatur. Is ſanè multiplex; at tenent principatum ægritudo, quæ morſum quemdam doloris, lætitia, quæ profuſam hilaritatem, metus, qui animi receſſum ac fugam, & libido, quæ effrænatam cupiditatem efficit.

NVLLA ſubit animum appetitio, niſi priùs moto perſpicuè cerebro, quod gemini eſt appetitus animalis domicilium: is motus per arterias permanat ad cor, ab hocque ad humores & ſpiritus, quos huc illuc errantes (opinione celeriùs) modò cogit ac revocat, modò trudit & propulſat, nunc impetu, nunc ſegniùs agit, congruenter ad primigeniæ ſpeciei hauſtæ vel reconditæ pulſum. Inde inflammatus animus dolet, geſtit, efferatur, vixque manet apud ſe. Nec tamen iiſdem cietur motibus quibus corpus: ipſius agitatio ſolius cogitationis terminis circumſcripta, loci, quo nullo eget, mutationem omnem excludit; ut à verò longiùs abſint qui mentem ſimilem fingunt limaci, nunc in ſuâ teſtâ ſe attollenti, nunc condenti. Tantum tamen obtinet imperij in ſpiritus, ut eos, dum concurrat objectæ rei ſpecies, quocunque vult cogitando impellat. Fert etiam ejus cum corpore copulatio, ut certis cogitationibus, certę tametſi diſſimiles, corporis motiones reſpondeant, & vice verſâ; ſi ſemel vi naturæ ſuis ſemper legibus obſequentis ſibi occurrerint. Porrò homines, pro vario quo ſunt ingenio, placidiùs aut vehementiùs appetunt: nimiopere mulieres, quòd ipſum, quo reguntur animum imbecillum gerant; Has inter infirmiores, prægnantes adhuc acriùs & impenſiùs. Timore autem mœrore-ve ſauciis, amore aut gaudio exultantibus, irâ-ve cumulatis; ita ſpiritus & univerſi corporis moles quatiuntur, ut quas confertim ſubeunt, partes ſimillimâ ratione concutiant, ipſumque adeo impetum excipiat tenerrima proles, ad quam jugis venit per venas & arterias commeatus: & quoniam in cerebrum penetrat iſta impulſio, animula, quid rerum intra ſe geratur percipit. Hinc gaudet, metuit, mœret, colligit, ponitque iram cum matre, quam & ubi ſe matura levarit, ore, oculis, vultu, geſtu, corporis filo, moribus animoque penitùs exprimet.

TVRBIDIS parentum motibus patet fœtus, quamdiu utero detinetur; quin ut illi corpore animo-ve affecti fuerint, ipſo ſatus tempore; ſic naſcetur, jure ut temulento juveni objectus fuerit pater ebrius: in natos ſic abeunt ſeminum vitia, & quaſi anima in corpore tanquam in corrupto vaſe corrumpitur. Matris etiam incautæ, ſub ipſo conceptu jucundæ moleſtæ-ve rei imagine ſe ſe paſcentis, varia multiformis ac prætervolans cogitatio multiformes notas imprimit fœtui: certa quippe ſpirituum, cerebri, nervorumque agitatione definita, & ad uterum propagata imago, ſeminis, quod fingitur, motum avertit, ejuſque & ſanguinis partes ſic applicat, ut mutato partium ſitu, magnitudine, figurâ & colore puſionis, pro Gallo Æthiops, pro Æthiope Gallus, pro mare fœmina, & econtra, adultero legitimus, marito adulterinus ſimilis prodeat; nunquam tamen pro homine bellua. Suæ ſunt & conſtituto fœtui commotiones animi, quas augent maternæ ſi affines, ſi adverſæ, obliterant; ſed & in cerebro inſtar nudæ tabulæ, omni formâ vacuo ſignatæ, relinquunt veſtigium altè impreſſum, non magis quàm corporis nœvi, delendum, mentem nulli rei alteri implicatam, levi quâque occaſione pulſaturum. Hinc illæ rerum quarumdam libidines & odia inani ſympathiæ & antipathiæ nomine inſignita. Quàm rectè Terentianus ille mulierem revincit natum ex eâ filium, quod ipſius ſit ſimilis, nihilque ſit vitij, quin id itidem ſit matri: adeò creandis liberis optanda parens, cui ſit ſano in corpore ſana mens.

Ergo fœtus eſt animi fœtæ pathematis obnoxius.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Raphaël Maurin.
M. Ludovicus Gallais.
M. Franciſcus Goüel.

M. Petrus Creſſé.
M. Petrus le Large, Primarius Luſitanorum Reginæ Medicus.
M. Antonius Ioannes Morand.



M. Gilbertus Puylon.
M. Claudius Seguin, Primarius Reginæ Matris defunctæ Medicus.
M. Nicolaus Brayer.

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS GAYANT Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.